



Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

VII. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. D. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](#)

D. i. n. 24. non currit argumentum à pari
in jure positivo, quod de facto irritavit
pœnas, non autem arrhas. Nihilominus
quamvis Judex non possit partem injuste
resilientem cogere ad solvendam pœnam
sponsalibus adjectam, potest tamen eam
compellere ad solvendum interesse, i. e.
damnum quod altera patitur, & lucrum
quod amisit. Ita *Gonz. l.c.n.5.*

EX TITULO VII. I. C. I. „ Licet Canones
„ habeant, ut nullus copulet matrimonio,
„ quam prius polluit adulterio, & illam
„ vel maximè, cui fidem dedit uxore suâ
„ vivente, vel quæ illius mortem machi-
„ nata est; si verò fœmina fuit inscia, quod
„ vir uxorem habeat aliam viventem, ne
„ vir lucrum de dolo suo reportet, nisi
„ mulier divortium petat, ad petitionem
„ viri non sunt separandi. Unde ad impe-
dimentum criminis requiritur, ut uter-
que sciat de matrimonio saltem unius;
nam qui ignorat, non infert injuriam illi
matrimonio ignorato. Imò si utraque
pars esset conjugata, & sic committat
adulterium formale; si tamen utraque
ignoret conjugium alterius, impedimen-
tum non induceretur.

2. C. 8. „ Si quis uxore vivente fide da-
„ tâ promisit aliam se ducturum, vel cum
„ ipsa de facto contraxit, si nec ante nec
pott.

„pōst, legitimā ejus superstite, cognovit
„eandem, non eīt matrimonium, quod
„cum ea post obitum uxoris contraxit, di-
„rimendum. Cæterū tolerari non de-
„bet, si priūs vel postea, dum vixerit uxor
„ipsius, illam adulterio polluisset. Ex hoc
inferunt DD. ad hoc impedimentum in-
ducendum requiri, ut adulterium & pro-
missio vel attentatio matrimonii concur-
rant durante eodem matrimonio; non
autem induci, si fiant in diversis; quia si
adulter secundō nubat, eo ipso recedit
à promissione facta, quōd mortuā uxore
velit illi Bertæ nubere; ac si adulterium
cum eadem in posteriore matrimonio
committat sine nova promissione aut
econverso, non oritur impedimentum,
quia debet eidem matrimonio & conjugi
illata esse utraque injuria promissionis
& adulterii. Vide *Nucl. Theol. Exam.* 30.
n. 6. Lac. l. c. n. 623.

EX TITULO XVII. I. C. 2. h.t. „Cūm
„vir & mulier publicē & sine contra-
„dictione Ecclesiæ matrimonium inter se
„contraxerant, & postea divortii senten-
„tia Canonicē esset lata, sanxit Pontifex
„ut filii eorum, qui ante sententiam ipsam
„nati fuerunt vel concepti, habeantur
„legitimi, ac in bona paterna hæreditario
„jure succedant, & de bonis parentum
„suo.